



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

III. De signo Iridis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

Hoc est, de manu cuiuscunq; qui occiderit animam  
requiram, hoc est, sumam pœnas de omnibus homici-  
cidis.

Quicumque effuderit humanum  
sanguinem, fundetur sanguis illius.  
In Ebreo expressè inseritur particula, Per homi-  
nem, scilicet Magistratum, qui iuxta certas & bene-  
ficias leges disciplinam tueri & scelera punire de-  
bet.

## III.

## DE SIGNIS SEU SACRAMENTIS, &amp; de Iride.

Semper Deus uerbo seu promissionibus suis ad-  
didit externa signa in oculis incurrentia, que ad-  
monos hominum de promissione admoneant, & trepi-  
dantes subinde erigant ac confirment, ut sine illa  
dubitatione promissioni assentiantur. Hæc signa ex-  
terna seu testimonia & sigilla promissionis, usitate  
Sacramenta uocantur, de quorum usu & finibus su-  
pra Capite Quarto dictum est. Ita Iris est signum  
externum, quo confirmatur Noha & tota posteritas,  
ut statuatur deinceps Terram non amplius aqua  
Diluij oppressam iri.

Sentiunt autem pleriq; Iridem etiam ante Dilu-  
uium fuisse signum pluuiarum, sed nunc de nouo  
destinatam esse in signum fœderis seu promissionis.



qua Deus pollicebatur se nolle deinceps Mundum  
uniuersali Diluuiio delere.

*Causas Physicas & generationem Iridis Ari-  
stoteles in tertio libro Meteororum prolixè expli-  
cat.*

IRIS est arcus, habens uarios ad-  
uerso Sole colores, in nube rorida &  
concaua, ex radiorum Solis oppositi re-  
fractione & reflexione ad nostrum ui-  
sum apparens.

*Semper autem hæc tria centra, Solis, nostri ui-  
sus, & Iridis in una recta linea consistunt, quæ linea  
est axis in pyramide illuminationis nubis roridæ,  
quæ Iridis materia est.*

*Iam de lumine radiorum Solis in nube reflexo-  
rum tantum illud cernitur, quod ad unum punctum  
in axe pyramidis, uidelicet ad uisum nostrum se-  
cundum æquales angulos reflectitur.*

*Etsi igitur tota superficies nubis roridæ Soli  
oppositæ illuminatur & coloratur radijs Solis, ta-  
men quia cæteri radij reflexi non concurrunt ad no-  
strum uisum, sed uel ultra uel circa centrum uisus  
deferuntur, nobis ea tantum pars colorata apparet,  
ex qua radij ad nostrum uisum ad æquales angulos  
reflectuntur. Sicut in aqua clara, splendente Sole,  
ubi est forma Solis, nec tamen uidetur nisi in uno lo-*

*co, unde*



co, unde fit iusta reflexio radiorum ad uisum, in  
to uero loco alibi cernitur.

Hinc etiam, cur Iris arcus figura appareat,  
telligi potest. Nam radij Solis in superficiem  
incidentes, & ad æquales angulos reflexi circa  
ferentiam circuli describunt, cuius centrum  
in lineam ex centro Solis per centrum nostrum  
productam.

Colorum in Iride uarietas à partium nobilitate  
ride raritate, densitate, & diuersa positione  
ri existimatur. Ut enim Radij Solares per uiam  
rubrum uel flauum transeuntes, lumen rubrum  
flauum deferunt, Sic radij Solares in nubem  
dam inæqualiter dispositam incidentes, reflexi  
uersos colores nobis ostendunt, ex quibus præcipue  
sunt isti tres, puniceus, uiridis, flauus, ex quorum  
mixtione plures alij oriuntur. Sed totam hanc  
tationem de Iride ex Aristotelis loco citato, in  
Physicis libellis petat, qui uolet.

### IIII.

## NOHA VIR AGRICOLA plantauit Vineam.

Multiplicem doctrinam hæc postrema No-  
pitis Narratio continet, quam in Decem Locis  
stribuemus.